



ANdreas ex honesta familia natus à teneris an-
 nis philosophiæ naturali, atque Medicorum
 libris operam dedit, & in uirum doctissimum sui
 temporis euasit. Venerat is ad Concilium Basilien-
 se, ut cum uiris doctissimis conferret, atq; Medici-
 nam exerceret. Cum autem eius eruditio innotuis-
 set, iussu Cæsaris Aeneas Syluius ei Doctoralia in-
 signia magna solennitate contulit. Erat autem is
 non tantum eruditione, sed etiam maxima pietate,
 & in exercenda re Medica summa foelicitate prædi-
 tus. Hinc factum ut omnes propè superioris Ger-
 manix principes eum ueluti præsidium & numen
 quoddam suæ salutis colerent & uenerarentur, ita

ut eius tutelæ sese penitus commendarint. Postea eum quoq; Fridericus Cæ-
 sar, & Pius pontifex, eiusq; successor Paulus secundus Medicum suum ele-
 gerunt. quibus omnibus tanta diligentia consilia dabat, ut omnes eum patris
 instar diligerent & obseruarent. Hinc etiam factum, ut sæpius pro unius mor-
 bi depulso periculo principes ei mille aureos & amplius numerarint, ita ut
 maximas opes, quas tamen aspernabatur, collegerit.